

## De schimmen (Verg. Aen. VI, 305-336)

Hūc omnis turba ad rīpās effūsa ruēbat, 305  
mātrēs atque virī dēfūnctaque corpora vītā  
māgnanimum hērōum, pueri innuptaeque puellae,  
impositīque rogīs iuvenēs ante ōra parentum:  
quam multa in silvīs autumnī frīgore pīmō  
lāpsa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab altō 310  
quam multae glomerantur avēs, ubi frīgīdus annus  
trāns pontum fugat et terrīs immittit aprīcīs.  
Stābant ōrantēs pīmī trānsmittere cursum  
tendēbantque manūs rīpae ulteriōris amōre.  
Nāvita sed trīstis nunc hōs nunc accipit illōs, 315  
ast aliōs longē summōtōs arcet harēnā.  
Aenēās mīrātus enim mōtusque tumultū  
'Dīc,' ait, 'ō virgō, quid vult concursus ad amnem?  
Quidve petunt animae? Vel quō discrimine rīpās  
hae linquunt, illae rēmīs vada līvida verrunt?' 320  
Ollī sīc brevīter fāta est longaeva sacerdōs:  
'Anchīsā generāte, deum certissima prōlēs,  
Cōcētī stāgna alta vidēs Stygiamque palūdem,  
dī cūius iūrāre timent et fallere nūmen.  
Haec omnis, quam cernis, inops inhumātaque turba est; 325  
portitor ille Charōn; hī, quōs vehit undā, sepultī.  
Nec rīpās datur horrendās et rauca fluenta  
trānsportāre prius quam sēdibus ossa quiērunt.  
Centum errant annōs volitantque haec lītora circum;  
tum dēmum admissī stāgna exoptāta revīsunt.' 330  
Cōnstitit Anchīsā satus et vestīgia pressit  
multa putāns sortemque animō miserātus inīquam.  
Cernit ibī maestōs et mortis honōre carentīs  
Leucaspim et Lyciae ductōrem classis Orontēn,  
quōs simul ā Trōiā ventōsa per aequora vectōs 335  
obruit Auster, aqua involvēns nāvemque virōsque.